



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

1605

**D**N extrema fere operosi hujusce laboris parte id præfari liceat, quod initio, dum manum huic scriptioni admoverem, dixisse memini; procul ira, amore, odio, quæ postremis hisce temporibus contigere, me litteris mandaturum. De acerrimis inter Paulum quintum Pontificem Maximum ac Venetos dissidiis scripturum, nullus me a veritate promenda affectus abducet; non acres controversiae agitatæ, quibus vel in Patrum collegio, vel in Senatu interfui; non inexpeditato ejaculatum in Rempublicam fulmen; non denique insitus amor in patriam a munere suscepto avocabunt. De iis, inquam, dissidiis, quæ ex parvis orta initiis, adeo se extulerent, ut per Italiam atque Europam omnem pervagata, ex scriptorum contentione in cruentum fere bellum, quo publica quies, reipublicæ christianæ status. religio denique ipsa in